



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER PLURIMOS** TEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM
SANCTI IOANNIS BAPTISTAE
SUB TITULO «A DECOLLATIONE», IN OPPIDO V.D. CHOJNICE,
IN DIOECESI PELPLINENSI, AD GRADUM BASILICAES MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter
plurimos sanctos ab Ecclesia renuntiatos fidelibusque ob viva virtutum exempla propositos iure meritoque Ioannes
Baptista praecipue est recensendus, qui paravit viam ante Christum et maximus fuit inter natos mulierum (cf. *Mt* 11, 10-
11). Libentes ergo accepimus postulationem Venerabilis Fratris Ioannis Szлага, Episcopi Pelplinensis, ut templum, ubi
Sancti Ioannis Baptiste cultus viget eiusque martyrii testimonium plurima iam saecula a sacerdotibus praedicatur et a
Christifidelibus piissime colitur, dignitate basilicae Minoris exornaretur. Certiores facti hanc aedem aequo modo etiam
architectonice et liturgice commendari, eiusmodi petitioni sine mora concedimus, confisi sane fore ut, intercedente
Sancto Ioanne Baptista, hoc privilegium ad populi Dei illius regionis unitatem eiusque devotionis emolumendum haud
parum conferat. De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra
Apostolica per has Litteras statuimus, ut ecclesia paroecialis in oppido vulgo dicto Chojnice, in dioecesi Pelplinensi, Deo
dicata in honorem S. Ioannis Baptiste Decollati, titulo et dignitate Basilicae Minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis
huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris,
anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Haec vero nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet
minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Martii, anno MCMXCIII,*
Pontificatus Nostri quinto decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana